



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XCI. De Monopolio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Negative. Nicolius *Institut. libr. 2. tit. 7. num. 23.*

17. *Quer.* An teneatur de evizione creditor, ad cuius instantiam res fuit subhaftata, & vendita per Judicem, si dicta res evincatur? *Resp.* Non teneri, dummodo monstret, se fuisse verum creditorem. *Rota par. 1. recent. decis. 370. num. 4. 5. & 6.*

18. *Quer.* Quæ res prohibita sint vendi? *Resp.* Res Spirituales, res Ecclesiasticæ sine solemnitate, liber homo, res offensivæ, ut venena, de quibus est *Constitutio 29. Cum officio, &c. Gregor. XIII.* Bona verò stabilia Status Ecclesiastici non possunt vendi, neque alienari in personas; quæ non habitent in Statu Ecclesiastico, sine licentia Sedis Apostolicæ, exceptis locis montium, & domus in Urbe, ac bona in districtu per decem miliaria. Vide *Constit. Sixti V. la 3. Clementis VIII. la 78. & Pauli V. la 108.*

19. *Quer.* An aliquando quis possit compelli ad vendendam rem suam? *Resp.* Affirmative in pluribus casibus, & præcipue, 1. Tempore caritatis annonæ, qui multum triticum habet, potest cogi vendere pretio statuto à Magistratu. *l. 1. §. Cura carnis. ff. de Offic. Presid. Urbis.* 2. Pro causa pia, ut pro ædificando Monasterio, Hospitali, Scholis publicis, Palatio Principis, vel via publica decoranda. *Nicol. ubi supra dict. tit. 24. sub num. 19. lib. 3. Institut.* 3. Romæ per Jus congrui vicini tenetur vendere domum suam vicino volenti fabricare ad ornatum Urbis. *Gregor. XIII. Constit. 22. nisi & ipse vellet ædificare, quo casu ei terminus præfigitur ad fabricandum. Coccin. decis. 2. & dummodo, qui vult emere, jam inceperit fabricare. Rota coram Merlin. decis. 437. num. 15.*

20. *Quer.* An liceat venditoribus decipere infideles in pondere, vel pretio? *Resp.* Negative, ut habetur *Prov. 20. 23.* & respondit Sac. Congreg. de Propaganda Fide die 16. Junii 1636. *Nicol. dict. tit. 24. num. 21. lib. 3.*

21. *Quer.* An sit licita emptio, & venditio cum pacto retrovendendi? *Resp.* Affirmative; sed quia in hoc casu solet committi Usura palliata, quatuor sunt conditiones servandæ. Primò, Ut verè partes intendant vendere, & emere. Secundò, Ut fructus rei venditæ spectent ad emptorem, simulque damna, & pericula. Tertiò, Ut in contractu servetur æqualitas. Quartò, Ut detur justum pretium. *Nicol. ubi supra dict. lib. 3. tit. 24. num. 22. Rota decis. 349. part. 4. recent. tom. 2.*

22. *Quer.* Quotuplex sit justum pretium? *Resp.* Est triplex, infimum, mediocre, & rigorosum. Et unum debet parùm distare ab altero; puta, si decem sit justum pretium medium; octo, vel novem erit infimum; undecim, vel duodecim erit rigorosum. At in subhaftationibus datur major amplitudo. *Diana part. 1. tract. 8. resol. 55. Qui etiam part. 4. tract. 4. resol. 12. tenet, in subhaftationibus esse semper pretium justum, quod iponte offertur absque dolo, & fraude. Nicol. dict. lib. 3. tit. 24. num. 22.*

23. *Quer.* In quot casibus liceat pluris rem

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

vendere, quam sit pretium commune? *Resp.* In quinque casibus. Primò, Ob multitudinem Emptorum. Secundò, Ob affectum vendentis ad rem vendendam. Tertiò, Ob lucrum cessans, vel damnum emergens. Quartò, Ob periculum amittendi pretium, vel recuperandi cum expensis. Quintò, Propter modum vendendi, ut si res minutatim vendatur. *Nicol. ubi supra num. 22.*

24. *Quer.* In quot casibus liceat minoris rem emere? *Resp.* Pariter in quinque casibus. Primò, Ob multitudinem mercium. Secundò, Ob inopiam pecuniæ, & paucitatem emptorum. Tertiò, Si merces ultrò offerantur, & venditor roget emptorem, quia tunc res pro tertia parte vilescit. Quartò, Si res vendatur cum pacto de retrovendendo. Et Quintò, quando debitor est multis debitis implicitus. *Rota part. 1. rec. decis. 648. num. 2. Nicol. ubi supra num. 22.*

25. *Quer.* Si dominus committat Factori suo, ut vendat frumentum, prout est taxa, si ille vendat supra taxam, an possit illud plus retinere sibi? *Resp.* Negative, quia totum pretium est domini. Salmanticenses tractat. 14. de Contract. cap. 2. punct. 8. Secus autem, si alicui proxenetæ vulgò *Revendigolo* dixisset, vende talem rem meam, sed non minoris centum. Tunc enim censetur concedere ipsi, si plus illam vendat, titulo suæ mercedis, ut sibi illud plus retineat. *DD. d. punct. 8. num. 71.*

CAPUT XCI.

De Monopolio.

1. *Quer.* Quid sit Monopolium? *Resp.* Est collectio unius, ejusdemque speciei bonorum ab uno, vel pluribus unitim facta, hoc animo, ut ab ipsis tantum, non autem ab aliis dicta bona vendantur. Et est delictum punibile. *l. Unic. C. de Monopol. Vide Constit. 118. S. Pii V.*

2. *Quer.* An Princeps possit concedere Monopolia; id est, ne aliqua res vendatur, nisi ab uno tantum? *Resp.* Affirmative tribus concurrentibus. Primò, Ne bona sint de necessariis usui humano, ut Triticum, Vinum, Oleum. Secundò, Ut pretium justum à Principe pro re vendenda statuatur. Tertiò, Ne Ecclesiastici graventur. *Diana part. 6. tract. 8. resol. 1. Bonac. de Contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. num. 9. tom. 2.*

CAPUT XCII.

De Censibus.

1. *Quer.* Quid sit Census? *Resp.* Est Jus percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera, sive illa pensio sit fructuaria, sive pecuniaria. *Nicol. dict. lib. 3. Institut. tit. 24. num. 23.* & ideo, qui pensionem solvit, appellatur Censuarius, qui vero eam exigit, dicitur Censualista, seu Censitor. *Tusculus concl. 186. tom. 1.*

2. *Quer.* Quotuplex sit Census? *Resp.* Plures esse Censuum divisiones, sed hæ sunt præcipuæ.

R